



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

tus quòd tale aliquid captus moliretur, primùm videbatur rem excepisse cachinno : vbi profundius cogitabat, sententiam pastoris putabat non esse contemnendam. Itaq; iussit mox laxatum remitti ad ecclesiã suam, & permansit res infecta per omnes dies, quibus supererat episcopus memoratus. Post eius excessum, vt dicemus, res est consummata.

CAPVT VIII.

DE Vngaris parta victoria sparsit cum laude famam Ottonis per omnes prouincias, peruenitq; ad Italiam, excitauitq; illam, vt expertam prius Ottonis virtutem imploraret aduersus Berengarium & Albertum, à tyrannide non temperantes in Lombardia, & aduersus pessimos mores summi Pontificis Iohannis XII. qui pessimo ordine pontificatum adeptus, per impressionem & patris sui potentiam, peioribus illi moribus dedecorauit, venationi potius & adulterijs, quam consecrationibus, aut pijs ecclesie rebus intentus. Duo praeipui erant cardinales diaconi, qui occultis ad Ottonem datis literis, perorabant vt laboranti succurreret ecclesie: nunquam fuisse iustiore veniendi in Italiam causam. Motus rex ire constituit: prius tamen rebus in Germania ordinatis, nè quid turba nasceretur per absentiam. Eam Saxonia partem, quae Suedalio contermina est finibus ad Albim fluuium, nullus post Suedekindum dux administravit: nam pater eius Henricus, & illius ite genitor Otto, & rursus Ludolphus, à regibus Germania, qui tum ex Carolino sanguine rerum potirentur, commendatas accepere partes, potissimum superioris Saxoniae iuxta Turingiam, in qua magna pars Saxonibus parebat: quae postea cum vicina Francia & Hassia etiam accessit ditioni Henrici & Ot-

tonis regum, cum omni Lotharingia. Interim vero ad Albim decliuorem constituta prouincia, prater vicinos pontifices, quibus Magnus Carolus terram subiecerat: cum intelligeret effrenem populum non tam armis, quam religione stringendum, non habuit gubernatorem. Visum est ex re optimo regi, per opus esse viro etiam in ea regione, qui temporali gladio rem gerat, iam mansuefactis Saxonum ceruicibus: praesertim ad continendum in fide vicinos & andalos, gentem inquietam. Igitur in Italiam profecturus tum rex Otto, cum longaeuam prospiceret futuram expeditionem, ad Albim fluuium prouinciam, quae erat extra pontificum iura, Hermanno cuidam acris ingenij viro, ad tutelam commendauit: cuius ante vir tutem & industriam in paucis rex erat expertus: Paruis quidem natalibus exierat, sed erat procero corpore, acris visu, bonis moribus, fide praecipua in dominos: quibus rebus innotuit aulicis, & cepit esse in ministerialibus aula: deinde praepositus regis liberis ad mores componendos. Huic ergo viro praefecti nomine prouinciam rex commendabat Albanam, iam ante de iustitia probato.

CAPVT IX.

Septem in itinere solos habebat Mansionarios in totidem praedijs & mansis: hi de furto apud illum accusati conuictique, vno omnes ab illo iussi necantur suspendio. Mirantur omnes, quod vir non locuples patrimonio suo non pepercerit, cui ademit cultores: quae seueritas in suos, ante charum, postea fecit esse omnibus charissimum. Adaldagus erat his temporibus archiepiscopus Hamburgensis, cancellarius regius, cum ipso profecturus in Italiam, qui ecclesiae suae praedia eidem Hermanno praefecit commendata: Crediderim eius viri auctoritatem

multum